



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber De Regno Dei, De Qvo Christvs Loqvvtvs Per Dies
quadraginta**

Flavin, Melchior de

Parisiis, 1566

Quomodo primùm praedicatum Euangelium in paradiso à Deo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29986

*Quomodo primum prædicatum
euangelium in paradiso, à Deo.**O paternam
bonitatem.**Lex in ec-
clesia insuf-
ficiens sine
euangelio
Christi.**Exod. 15.**Esaie 2.*

Ominus videns primum hominem deiecto animo & desperato, cuius miserationes super omnia opera eius, ceu Deus ex improviso apparēs, vt erigat animum primi hominis, denunciat euangelium promissionem seminis quod dissipet regnum Satanæ, de peccato & morte asseret nos in libertatem & gratiæ & vitæ. Illa prædicatio euangelij dedit initium ecclesiæ, & regno Christi. Nam in ecclesia non sufficit lex sine euangelio Christi, cuius gratia est remissio peccatorum, reconciliatio cum Deo, & persistencia in tentationibus & morte, fide promissionis eius saluati Adam & Eua. Et susceperunt consolationē in morte & vita, plena laboribus & affectionibus, postquam expulsi sunt de paradiso in terra illa Palestine, quæ demum data est Israclitis: in qua plantata est primum synagoga. Exo. 15. Plantabis eos in monte hæreditatis tuæ. Illic demum fundata est & Christi ecclesia. Esa. 2. De Sion exhibit lex,

& verbum Domini de Hierusalem, & Ioan. 4. Salus ex Iudæis est. Item Lu. 24. *Ioan. 4. Luc. 24.* Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam suam, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorũ in omnes gentes, incipientibus ab hierosolyma. Quæ ecclesia à sua nascentia subdita est persecutionibus assiduis. *Psal. 128.* Sæpe expugnauerunt me à iuuetute mea. *2. ad Tim. 3. Hebr. 6. 11. 12.* Idque ob verum Dei cultũ, quẽ nõ potest ferre Satan, qui tunc cœpit per sua membra persequi Christũ in suis. *Apocal. 13.* Agnus occisus est ab origine mundi. Idcirco suscitatus Cayn contra Abel vt extingueretur verbũ Dei, & sincera doctrina. Tunc paruit furor diaboli, & quid agat per suos quos agit. *2. ad Timoth. 2.* Captiui tenentur ad eius voluntatem, quemadmodũ spiritus Christi agit filios Dei. *Rom. 8.* qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Potentiam siquidem Satane in suos perspiciuè cernimus in Iuda. *Ioan. 13. Mar. 14. Luc. 22.* Cayn refert similitudinem diaboli, & Abel Dei, qui fuit figura Christi: & Cayn Iudæorum homicidarum, quibus datum signũ quẽ-

admodum & Cayn. Terra suscepit sanguinem Abel, qui adhuc clamat. Gen. 4. & Hebr. II. & terra ceu ager ecclesie suscepit sanguinem Christi ad bibendum. Matth. 26. & I. ad Corin. II. qui clamat misericordiam & reconciliationem. Heb. 12. accessistis ad sanguinem melius clamantem, quam Abel non videtur Abel hominibus viuis, nihilo fecius viuit Deo, & mortuus loquitur. Hebr. II. & 12. & Sap. 3. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, non enim est Deus mortuorum. Matth. 22. Deus qui primū predicauerat euangelium post occisionem Cayn, denunciat demū iram suam. Nam Roma. I. primū nunciatur in euangelio Dei iustitia, qua gratis iustificat nos seu gratia, demum reuelatur etiam in euangelio ira Dei de cælo. Quapropter Dominus nunciat venturum iudicium horrendum, & pœnam homicidij, aliorūque peccatorum. Deflet Adam centum annis peccatum suum, cernens mortem Abel. Tunc enim cognouit damnum quod incurrit ex peccato. In his duobus filiis incœperunt bella Dei, de quibus Numer. 21. sicut dicitur in libro bellorū Dei. Enim-

Genes. 4.

Hebr. II.

Matth. 26.

I. Cor. II.

Hebr. 12.

O admira-

bile myste-

rium Sacra-

menti Eu-

charistici.

Sapient. 3.

Matth. 22.

Roma. I.

Quantum

iustitiæ attu-

lerit Ada-

Abelismors.

Numer. 21.

uero ante Moysen non erat scriptura. Vnde pentateuchus dicitur liber bellorum Dei, maximè Gene.3. de inimicitia serpentis & mulieris, & filiorum Adam Abel & Cayn, & filiorum Cayn contra filios Seth. Dicitur etiam liber iustorum. 2. Reg.1. quemadmodum euāgelium est liber bellorū Christi, & Apocalypsis bellorum ecclesiæ. Cayn ciuis mundi & semen serpentis, cuius generatio multiplicata est, & constituit ciuitates, & regna, citius quàm generatio Dei. Nam post centum annos à morte Abel est natus Seth. Generatio Cayn corrumpit fidem, & mores in populo Dei filiis, videlicet Seth, qui filij Dei dicuntur. Gene.6. In quorum uisionem missus *κατάκλυσμος* Abel filius fuit benedictionis quando. Gene.1. Benedixit Dominus primis parentibus: crescite & multiplicamini, &c. Cayn autem maledictionis. Gene.3. in pœnam & maledictionem. Multiplicabo conceptus tuos. Nam sine peccato illorum non fuisset natus Cayn, sed soli electi, operatus diabolus primum per Cayn contra Christum, in suis demū per mulieres in generationem Seth, quæ erat Dei. Gen.6. sicut cō-

Sepher mid chamot adonai.
Genes.3.

2. Regum 1.

Id est diluuium.
Genes.1.

Genes.3.
Vide mulierum damnata pessima.

Genes.6.

3. Reg. 11.
Eccle. 47.
Numer. 25.
Neem. 13.

Hieronimus
lib. 2. con-
tra pelag. ad
Ctesiphote.

Genes. 3.

tra Salom. 3. Reg. 11. Eccle. 47. per Madia-
nitas mulieres, Nume. 25. erga Iudæos &
Cananæos, Neem. 13. sic hærefes primò à
viris, vt Cayn primus hæreticorum, sed
demum per mulieres, Constantiam, Eu-
doxiam, Iustinam, & alias. Vide Hieron.
lib. 2. contra Pelag. ad Ctesiphontem, Sy-
mon. mag. per Helenã meretricem, Mar-
chion aliam quam præmisit Romam, A-
pelles philomenem, Montanus priscam
& Maximillam, Donatus, Lucillam, Elpi-
dius, Agapem, Priscillianus gallam, & no-
stro seculo idipsum perichitati sumus. Vi-
de in Cayn exemplum peccati originalis
infidelitatem, diffidentiam, timorem, de-
sperationem, amorem sui. Nam solus vo-
luit esse hæres mundi. Eua arbitrata pro-
missionem de femine, Gene. 3. complen-
dam in Cayn, ideo dicit possedi hominẽ
per Deum: Cayn enim possessionem si-
gnificat. Secundus filius dictus est Abel,
idem superfluus vel spretus ab Eua, qui
tamen erat electus: sicut & Christus spre-
tus est à mundo cum suis: hi duo filij pri-
ma vasa sunt reprobatorum & electorum:
quia autem Christus descensurus erat ex
Seth, qui dicitur positus pro Abel scili-

cet, & dicitur fundamentum. Prouer. 10.
 Iustus quasi fundamentum, sic Christus
 per eum figuratus, dicitur fundamentum. *Prouerb. 10.*
 Matth. 16. 1. ad Cor. 3. & Esa. 8. Per Seth *Matth. 16.*
 enim restitutus est verus Dei cultus & *1. Cor. 3.*
 per Enosch. Gen. 4. Siquidem cultus Dei *Esaia. 8.*
 prophanatus erat per idololatriam à filiis *Genes. 4.*
 Cayn, vnde vocatus enosch quasi homo.
 Nam prius vt bruta viuebant sine Deo,
 demptis paucissimis. Post diluuium au-
 tem renouata est promissio de Christo:
 non destitit interim diabolus, quin moli-
 tus fuerit delere fidem promissionis de
 Christo, idque in cōfusione linguarum:
 Attamen remansit apud eos qui retinue-
 rant linguam hæbraicam, qua sola locu-
 tus est totus orbis, vsque ad cōfusionem
 illam linguarum. Et ne omnino interi-
 ret memoria promissionis factæ. Adæ de
 Christo (sine cuius fide nullus vnquam
 saluatus est) inuentæ sunt literæ Hebraicæ
 à Mose, demum græcæ à Cadmo tempo- *Iudic. 1.*
 re othoniel, deinde Latinæ à Carmenti *Quando lite-
re hebreæ
græcæ & la-
tina inuēta
& à quibus.
Iudic. 10.*
 de tempore Iait Iudicis, per quas literas
 renata est iterum cognitio promissionis
 de Christo venturo, vt patet in Bibliis
 Hebr. Item in translatione Caldaica &

*Notatu di-
gna sanè.*

Fathifcente.

græca septuaginta interpretum, quàm vi-
dit Plato, aliique plurimi philosophorū
in Ægypto. Vnde in sepulchro cuiusdam
philosophi apud Constantinopolim, in-
uenta est lamina aurea, in qua scriptum
erat Christus nascetur ex Maria virgine:
& credo in eum, ô Sol iterum me vide-
bis. Helenæ & Constantini temporibus.
Itē anno 1242. Imperante Fræderico se-
cūdo, tēpore honorij Papæ, regnante in
Castella, Ferdinando, à quodam Iudæo,
in Saxo nequaquam fathifcente, repertus
est liber in tribus linguis, hæbraica græca
& Latina, cuius folia erant lignea, in quo
scriptum erat quod in tertio sæculo. Nā
diuidit tempus totum durationis mundi
in tria sæcula) Christus filius Dei nasce-
tur ex Maria virgine, & pro salute homi-
num patietur. Et erat ibi etiamnum scri-
ptum, quòd illo anno debebat inueniri,
regnante Ferdinando. Vnde Iudæus ille
cum omnibus suis credidit in Christum.
Qualem autem notitiam habuerint de
Christo venturo Sybillæ, eamque inuul-
garint apud suos Gentiles, notius est ex
Augustino & Lactatio, quàm vt opus sit
eorum adducere vaticinia fusius. Non
ociabatur

ociabatur interim Satanas, quin circui-
 ret terram. Iob. 1. vt custodiret atrium *Iob. 1.*
 suum, ciens graues persecutiones in eos
 qui profitebantur fidem Christi, patriar-
 chas, Iosephum, Iobum qui ortus erat ex
 iis primogenito Nachor fratris Abrahæ,
 is enim hiis (ex Philone) duxerat in vxo-
 rem dinam filiam Iacob. Promissionem
 de Christo nunciat Iacob moriens. Gen. *Genes. 49.*
 49. quæ est tertia. Nam de prima promif-
 sione Gen. 3. de secunda vero, Gen. 22. *Genes. 3. &*
 Has promissiones cognoscens *Σεούαχος* *22.*
 Ille Satan, redintegrat bellum & quidem
 solito grauius vt draco & Leo, in eccle-
 siam Dei, cuius caput Christus, qui in ea
 patiebatur. Apoc. 12. Vide persecutiones *Apocal. 12.*
 quas suscitatur contra Ioseph per fratres, il-
 lecebras vxoris Domini sui, & carceres:
 demum mortuo Ioseph, Exod. 2. Sæuit *Exod. 2.*
 in totum genus Israelis in inuidiam Chri-
 sti, & palam occidit animas per idolola-
 triam & diffidentiã de promissione Chri-
 sti. Corpora autem per regem Pharaonẽ.
 Vnde adigitur populus Dei vt ad Ra-
 uimvsque, clamet ad Dominum deside-
 rãs liberatorem Christum. Exod. 4. Mit- *Exod. 4.*
 te quem missurus es, quem pollicitus est

D

Genes. 49. Iacob. *Gen. 49.* Salutare tuum expecta-
Luc. 11. bo Domine, à quo solo debellandus erat
 ille sæuissimus hostis. *Luc. 11.* cum fortis
 armatus custodit atrium suum, in pace
 sunt omnia quæ possidet: si autem fortior
 illo superuenerit, & vicerit eum, vniuersa
 arma eius auferet, in quibus confidebat,
Matth. 12. & spolia eius distribuet. Idem, *Matth. 12.*
1. Ioan. 3. & *1. Ioan. 3.* Ille apparuit vt dissoluat ope-
 ra diaboli in cuius signum immolatus est
 agn⁹, *Exo. 12.* qui erat figura Christi agni,
Exod. 12. *Ezech. 28.* Ioan. 1. sicut Pharaon figura draconis, *Eze.*
28. & 32. & leonis *Psal. 90.* conculca-
 bis leonem, &c. Vnde volebat tollere om-
 nem expectationem illius seminis Chri-
 sti, & abolere Dei nomen, & perdere pro-
 missionis fidem, deglutire futuri regni
 spem, sed vide quomodo Christus con-
 triuit Pharaonem, & tot regna Ægypti.
Exod. 14. *Sapien. 18.* Dum medium silen-
 tium omnipotēs sermo tuus, &c. qui fuit
 durus bellator, & gladius acutus in Pha-
 raonem, & regnum eius? sed agnus popu-
 lo Dei. Nam Ægyptij volebant occidere
 primogenitum Dei, *Exo. 4.* respectu gen-
 tilium, & in illo Christum primogenitū:
Coloss. 1. *Colos. 1.* Vnde meritò primogenita eorū

omnia occisa, Exo. 15. dixit inimicus persequar, &c. Gene. 15. gentem cui seruituri sunt, &c. Victus in Pharaone sicut in Nabuchodonozor & Aman, volentibus delere genus, ex quo Christus, Rom. 1. & 3. & 9. Vnde ex illa victoria contra Ægyptū glorificatus Deus est, & factus notus mundo. Exo. 9. 15. Deut. 4. Rom. 9. & populus Dei exaltatus. Exo. 3. Rom. 3. Sed vide quomodo 40. annis pugnat cū populo Dei in deserto, quē pertrahit ad idololatriam vitulorū. Exo. 32. sicut postmodum tempore Hieroboan, & aliorum regū Israel. 3. Reg. 12. tunc aperte cœpit persequi prophetas Domini. Post exitum de Ægypto & mortem Moyfi, Aaron, Iosue, &c. Iudic. 2. Duxit ad idololatriā per mulieres alienigenas. Interim missi iudices 12. ad fugandam idololatriam, & tuendū populum Dei qui dicti sunt saluatores: Nam vicarij veri saluatoris Christi, quem optat Moyfes, Exo. 4. & 32. de quo, Deuter. 18. Post 12. iudices erectum est regnū David, quod est regnum Christi, Luc. 1. Dabit ei Dominus sedem David patris eius, Esa. 9. & Hier. 23. Quare Christus elegit alios duodecim iudices, Matth. 19.

Exod. 15.

Genes. 15.

Dani. 4.

Rom. 1. 3.

& 9.

Hest. 7.

Exo. 9. 15.

Deutero. 4.

Rom. 9.

Exod. 3.

Roma. 3.

Exod. 32.

3. Reg. 12.

Iudic. 3.

Exo. 4. &

32.

Deut. 18.

Luc. 1.

Esa. 9.

Hier. 23.

Matth. 19.

Sedebitis super sedes 12. iudicantes, &c.
 En 24. Iudices quos seniores vocat. Ioan.
 Apoc. 5. & 7. Isti 12. posteriores, videlicet
 apostoli, non sunt vsi gladio vt priores,
 Luc. 22. Sinite vsque huc: id enim tem-
 poris, venerat qui nasciturus erat ex illo
 semine, quod non oportuit tunc defen-
 dere materiali gladio, Luc. 22. Ego dispo-
 no vobis, sicut disposuit mihi pater meus
 regnū non armis, sed passionibus. Matth.
 26. Mitte gladium in locum suum. Ha-
 ctenus placuit Deo priorum gladius ma-
 terialis: Nunc autem spiritualis de quo
 Ephe. 6. & Hebr. 4. Viuus est sermo Dei,
 & efficax, & penetrabilior omni gladio
 ancipiti. Pugnaverunt quondam in ma-
 ximis periculis & discriminibus cum pau-
 cis, Iudic. 7. & Deute. 28. & 32. Vnus per-
 fequebatur mille. Plus tamen fide & ora-
 tione euaserunt victores, quam armis. Il-
 las victorias fecit Christus per suos, Esa. 7.
 Voca nomen eius, accelera, spolia, &c.
 Priusquā enim nasceretur de matre Chri-
 stus, vicit in David cui facta promissio:
 idque sine auditione que per nullum pec-
 catum David, vel posteriorum, potuit
 impediri quō minus staret Dominus suæ

pollicitationi, Psal. 50. Iustificeris in ser- *Psal. 50.*
 monibus tuis & vincas cum iudicaris. Sic
 promissiones Abrahæ, Isaac, & Jacob quas
 vrget Moyses, Exo. 32. Ostenditur enim *Exod. 32.*
 Deus iustus, Rom. 1. ex fide promittentis, *Rom 1.*
 in fidem eius qui promittenti credidit.
 Propter hanc promissionem cum diabo-
 lus redintegrasset bellum cœptū, Exo. 32. *Exod. 32.*
 In adoratione vitulorum, idque tempo-
 re Hieroboan: Christus qui tunc per suos
 certabat contra Satanam, donec in pro-
 pria conficeret illū, amandavit suos pro-
 phetas gladio verbi Dei armatos. 3. Reg. 11. *3. Reg. 11.*
 12. 16. 1. Paral. 24. & 36. de quibus Christus *12. 16.*
 Matth. 21. Quomodo missi hora, prima, *1. Para. 24.*
 tertia, sexta, vndecima, &c. Vnde Iehu pri- *36.*
 mus occisus est pro verbo Dei, & Anani, *Matth. 21.*
 2. Paral. Deinde missi Helias, & Helifæus, *2. Paral. 16.*
 & alij prophete. 3. & 4. Reg. penè innume- *3. Reg. 16.*
 ri. Patiebatur enim tunc grauiissimū bel-
 lum ecclesia Dei, ob Achab, & Hiezabel,
 qui fermè obliterarant cultum Dei, quā-
 do missus Helias: cuius genealogia non
 legitur, sicut nec Melchisedech, Hebr. 7. *Heb. 7.*
 Venit cum potentia verbi, & miraculo-
 rum, quæ sunt duo præcipua: qui post-
 modū ceu triūphans per currum igneum

4.Reg.2. raptus est in cœlum, 4. Reg.2. Cui suffe-
 ctus est Elisæus, cum illo duplici spiritu
 prophetiæ videlicet, & miraculorum. Ita-
 que cum Elias operatus fuisset octo mi-
 racula, iste vsque ad 16. deuenit. Vix na-
 cta erat ecclesia Dei minimùm pacis, &
 ecce tibi de repente suscitatur diabolus
 4.Reg.11. Athaliam, 4. Reg.11. ad extinguendū to-
 tum genus Dauid, à quo Christus oritu-
 rus erat, A 10. tribubus deuenit cultus
 Baal, in domum Dauid. Quo factum est,
 vt sauiert ira Dei & in Athaliam, & in
 domum Dauid, iuxta verbum Domini.
 Psal.88. Si autem dereliquerint filij eius
 legem meam, & in iudiciis meis non
 ambulauerint, visitabo in virga iniquita-
 tes eorum, & in verberibus peccata eo-
 rum: misericordiam meam non disper-
 dam. Ab eo idcirco seruat Dominus do-
 mum Dauid, 4.Reg.20. Quia autem Is-
 rael noluit audire prophetas Domini, sed
 3.Reg.19. occidit, 3.Reg.19. Prophetas tuos occide-
 rūt, & altaria tua suffoderūt, &c. Matt.23.
 Hierusalem quæ occidis Prophetas, &
 lapidas eos qui ad te missi sunt: Exinde
 subsequuta est captiuitas illa Babylonica,
 70. annorum in qua tamen ob promif-

fionē illam de Christo, missi sunt ad eos
 Prophetæ ad consolandum populū, pro-
 mittentes reductionem, & propinquum
 aduentum filij Dei, Dan. 9. Agge. 2. & Dan. 9.
Agge. 2.
Malach. 3. Malach. 3. Omnia enim beneficia illi po-
 pulo præstita à Deo, angelis, aliisque crea-
 turis propter Christum nasciturū ex eis
 præstita sunt. Bella etiam Satanæ contra
 illum populum fuerunt ob cultum Dei,
 sed præcipuè propter Messiam ne in eo
 benedicerentur omnes gentes, & periret
 fides promissionis factæ à Deo, Gene. 3. & Gene. 3.
15. & 22. Abrahæ, 15. & 22. Non potuit tamen im-
 pediri propositum Dei, Rom. 8. quos præ-
 sciuit, & prædestinauit vocauit, & iusti-
 ficauit, &c. idque per vnum Christum. Rom. 8.
 Non destitit interim Satanæ noua susci-
 tare bella. Exciuit contra populum Dei
 quatuor monarchias: cōtra mēbra Chri-
 sti (inquām) & in quibus ille patiebatur:
 at non potuerunt eum delere, quinimò
 in omnibus his quatuor monarchiis fuit
 cognitus Deus. Pater ex Nobucodon.
 Cyro, Alexan. Octauiano, qui etiam con-
 tulerunt illi populo plurima beneficia.
 Meditatur iterū diabolus nouum genus
 belli: procurat enim cōbustionem tem-

pli, legis, ciuitatis, item grauiſſima bella tempore Machabæorū. Demum, vt alienaretur populus à vero cultu Dei, ſuaſit duo fieri templa, vnum in Ægypto, ab Onia, fauore Ptolomei & Cleopatre, ambitione Oniæ, qui pro ſe adducebat ſcripturam, Eſa. 19. quòd altare Domini debebat eſſe in Ægypto. Id videre eſt ſecundo Machab. & lib. 12. cap. 6. antiquitatū Iosephi. Confluxere innumeri Iudæi ad eum in Ægyptum, quemadmodum noſtri Leuiculi Chriſtiani ad eccleſias hæreticorum, & ſciſmaticorum: & durat illud templū ad Veſpaſianum uſque. Haud ita multò poſt, tempore Alexandri, ad obliterandum verum Dei cultum, extructum eſt aliud templum in monte Garizin, quod in fauorem generi ſui Manaſſe fratris Iaddi ſummi ſacerdotis, ædificat Senaballa Satrapa Ethnicus, ſub Dario, & Alexandro gubernator Samarię, & regionis vltra Iordanem quam Bataneam vocant: de quo templo Ioan. 4. Patres noſtri in monte hoc adorauerunt: pro ſe enim citabant ſcripturam, quòd patres illorū illic adorauerant. Vnde variæ cõtentiones in populo Dei: quemadmodū

Ioseph. ii.
antiquitat.
ca. 7. & 12.
cap. 1.

obtigit diebus nostris nephastis magno
ecclesiæ dispendio, inter catholicos &
hæresiarchas, qui pro se adducunt etiam
scripturam, quæadmodum & Samaritæ,
& asseclæ Oniæ, de quo supra. De his cō-
tentionibus hoc tēporis exortis, Dan. II. *Dan. II.*
Verumenimverò templum Hierosoly-
mitanum tantum Deo probatū, vbi com-
pletæ promissiones de Christo, Esa. 2. Ag- *Esa. 2. Ag-*
ge. 2. Malach. 3. Ecce ego mitto angelum *ge. 2. Ma-*
meum, qui preparauit viam, &c. Et statim *lach. 3.*
veniet ad templum sanctum suum domi-
nator, quem vos quæritis. At illucescente
Euangelio, Ioann. 4. Venit hora quando
neque in monte hoc, neque Hierosoly-
mis adorabitis. Postrema autem bella Sa-
tanæ, quæ præcesserunt aduentum Salua-
toris Christi, contra quem susceperat bel-
lum Satan, in membris Christi, & corpo-
re suo mystico, fuerunt longè grauiora
prioribus: quemadmodum & certamina
Ecclesiæ ante reditum Christi in hunc
mundū: Suggestit enim antiquus ille ho-
stis populo Dei, vt ineat fœdus cum Ro-
manis. 1. Mach. 7. diffidens de Dei auxi- *1. Mach. 7.*
xilio, qui demum cita morte sublatis sunt.
Vide Dan. 7. Vnde parum durat regnum *Dan. 7.*

eorum, sed capitur à Romanis tempore Pompeij: sub qua captiuitate adhuc degunt sub quarta illa Monarchia Romanorū, quæ illa est bestia terribilis, de qua Daniel. 7. sub ea interim repleta sunt omnia mysteria de Christo, tunc ablatum sceptrum, Gene. 49. Esa. 11. Libanus cum excelsis cadet, id est sceptrum per Herodem ob dissidia. Ioan. & Aristoboli fratrum, qui nactus regnum, quātum potuit, deleuit domū Dauid regiam, imò sacerdotalem, quæ erant iunctæ. Audierat siquidem nouum regem venturum de domo Dauid, qui restitueret & domum, & regnum Dauid. Esa. 9. & Am. 9. Trucidauit enim ille tyrannus vxorem suam Mariamnem, ex tribu Leui, cum Alexan. & Aristobolo, quos genuerat ex ea, timens regno suo. Deinde sæuit in Christum, & propter eum in pueros. Idque Cæsaris authoritate, qui non est expers tam immanis sceleris. Matth. 2. Tandem Christus sub Rom. passus est, Luc. 18. Matt. 20. & 26. Hæc autem bella à principe Satana intentata sunt, nedum in mēbra Christi, Quinimo in ipsum Christum. Is autem Herodes vt leniret conscientiam suam,

Dan. 7.

Gene. 49.
Esa. 11.Esa. 9. &
Am. 9.

Matth. 2.

Luc. 18.
Matth. 20.
& 26.

tot post cædes, & vt æquaretur in gloria
 Dauid & Salomoni, sumptuosissimè ædi-
 ficat templū ex rapinis, quæ fuit vna cau-
 sa ruinæ templi. *Matth. 24.* Non relinque-
 tur lapis super lapidem. Demum timens *Dan. 7.*
 suo regno Diabolus, suscitatur contra Chri-
 stum Cæsarem, Herodem, Phariseos, Scri-
 bas, Saducæos & Senatū quem vocant
 Hebræi Sanedrīn, demum totum impe-
 rium Romanum, & decem imperatores.
 Inuadit etiamnum Christū *Matth. 4.* De-
 mum *Luc. 22.* Vnde dicit Christus: hæc *Luc. 22.*
 est hora vestra, & potestas tenebrarum:
 sed volens Dei consilium impedire, pro-
 mouit suo inuento sibi malum, accersuit
 vsque antehac de bellis diaboli tam in
 Ecclesia cœlesti cū esset militās, in qua
 persecutus est Christum angelorū caput.
ad Col. 2. & Eph. 12. Demū de bellis con-
 tra Ecclesiam Christi adhuc peregrinan-
 tem, & certātem in terra, in quibus etiam
 persequebatur Christum. *Apoc. 12.* Nunc *Apoc. 12.*
 exponendum est de regno Satanæ, quod
 suis bellis nactus est, à quo pulsus per
 Christum.